

G R A E C I A.

Populos habuit antiquos Molosso, Chaonios, Tymphaeos, Aminaos, Amphilochos, Cassiopaeos, Amictas, & Argiriou. Regio olim quidē proprijs regibus subiecta, postmodum ab Imperatoribus Constantinopolitanis in Ducatum redacta. Vrbibus quondam populisque frequentissima, sed à Romanis subiecta, cùm sèpius eorum iugum extere conaretur, seseque in libertatem vindicare, penè in solitudinem est redacta: Cui infelicitati & illa accessit, qua ab Amurath Turcorum Imperatore capta superioribus annis, eiusdem nunc tyrannidem experitur. In duas principaliores distinguuntur regiones, Chaonia nimurum quaè propriè Epirus, & Acarnaniam, quaè nunc Ducatus seu Despotis Græcia minoris appellatur. Ex rursus deducuntur in minores Provincias, Thesprotiam, quaè nunc Vaielitia dicitur, Mediterraneam, Amphichiam, Cassiopeam, Almeniam, Aetholiam quaè Acarnanici pars est, & nunc sub Ducatu seu Despotatu Leuadiæ comprehenduntur. Ciuitates autem habet clariores Scodram, arte & natura munitissima, quam Drina flu. secat medium. Item Albanopolim, nunc Croiam dictam haud minus munitam, vtpote quaè obsidiones binas Turcarum fortissime sustinebat, fraudauerit. Dyrrachium olim Epidaurus, in qua olim apparatus bellici siebant in pugnis Pharsalicis Cæsare & Pompeio de imperio dimicantibus, quo bello hæc tanquam poenitentia & promptuarium commeatus, & reliquarum rerum belliarum ex parte Pompei: deinceps Oricum maritima ciuitas & portus est. Post hanc sequitur Antigonia, nunc Argirocastrum dicta, & Butrintus est portus, nec nō Dodona Thesprotiæ ciuitas, lucum habet vicinum seu nemus, Iouis olim oraculo dedicatum. Torona nunc Parga vocatur, mox in ipso aditu Ambraciæ sinus, qui nunc Golfo de Larta dicitur, obuia est Nicopolis seu Victoriae vrbs, ab Augusto Cæsare edificata, in memoriam victoriae ibidem obtentæ contra Marcum Antonium & Reginam Cleopatram, hac ætate Præfesa nominatur. Ibidem scripta est Epistola Pauli ad Titum, est & Larta & Ambracia, vnde sinus iam dictus nomenclaturam fortitus est. Aer terra bonus salubrisque, agerque opimus ac fertilis. Mare autem vicinum Ionium dictum (à Iono Dyrrachij fratre ab Hercule per ignorantiam occiso, & in id mare præcipitato) tempestuosum admodum, periculosam efficit nauigationem, quo maximè nomine infames sunt vicini Acrocerauri montes, nautisque inuisi. Fluuiorum Epirum rigantium præcipui sunt Acheron ex Pindo monte per Almeneos & Cassiopeos in sinum Ambraciū nunc Velichim dictum, irrumens. Hic quod montibus vicinus sulphurearum venarum nonnihil habeat nocturnas corruscationes, à Poëtis inter infernales fluuios recensetur. Alter est Arachthus seu Aracythus, hodie Spagmaguinirisus appellatur, Thiminus nunc Calthenus, Alphus & Achelous, qui nunc Aspri & Geroniteus vocatur ex Pindo monte, in sinum Corinthiacum influit, eius aqua credita olim dolorum, tum ulcerum, tum vulnerum sedativa. Refert insuper Plinius lib. vltimo Galactidis lapidis feracem esse hunc amnum. Est autem Epirotarum terra montibus cincta versus Septentrionem & Occidentem, qui Ceraunij & alibi ob proceritatem Acrocerauni dicuntur, nunc Cimarioti seu mótes de Chimara, sunt & Leucathes mótes dicti, & Aetium promontorium. Nemoribus quoque & syluis non destituitur: Minérarum autem siquid habeat ultra Salis fodinas inter Rogum & Arachthum fluuios non reperi. Terminos habet à Septentrione Macedoniam, ab Ortu Achaiam & Acheloi fluvij ostium, à Meridie Mediterraneum mare, cum Insulis Corfu, Zanthe, & illis iunctas reliquias, ab Occasu Mare Ionium cum Acroceraunijs montibus. Achaia autem quam præcedenti prouinciae ab Ortu collimitaneam esse iam diximus, & superius ab Acheo Xuthi filio denominatam monuimus, olim Egialos appellabatur ab Egialo Sicyoniorum rege. Populos olim habuit Ophios, Pleuronios, Abantes, Trinemios dictos, quorum hodie tantum nomen reliquum est. Secatur autem in minores regiunculas, Doridem, Hellada, Locros duplices, Ozolos scilicet & Epicnemidos, Opuntios, Phocida, Bæotiam, Atticam & Megarida. Quibus à Ptolæmo Aetholia additur, à nonnullis alijs ob vicinitatem Epiro annumerata. Ciuitates contiuit clarissimas Anticyrrham, Naupactū, hodie Lepanthum à barbaris vocatam. In Locorum Ozolorum ora sita est, Cirrha & Delphi Apollinis oraculo clara in Phocide, quemadmodum & Pythia altero Apollinis oraculo famata. Calydon Aetholia vrbs est, Lilæ Doridis oppidum, nunc Iallen dicitur. Megaridis ciuitas est Nisæa, quaè etiam Megara dicitur, Euclidis Mathematici patria. Attica autem Athenæ, studium quondam vniuersale Platoni & Aristotelis, nunc diruta ciuitas, preter fortissimam arcem Sethinæ dictam, nihil habens. Bæotia plateas habet memorabili Persarum clade nobilem, & Thebas Bæotias. Opuntiorum autem ciuitas est Cynos. His adiacet Eubœa ingens Insula, hodie Nigropontus, suo Euripo septies quoquis die refluo & defluo, & Chalcide ciuitate morte Aristotelis clara, ea est iuxta Euripum, è regione Aulidis portus Bæotiz. Fluuij in Achaia sunt celebriores, Euenus in quo Nessus, Centaurus ab Hercule sagitta iactus interiit ob raptam Deianiram, hic ex Calidromo monte in sinum Corinthiacum defertur: Boagrius torrens potius quam iustus amnis est, post hunc Ismenius memoratur & Asopus Bæotiz fluuius, alibi plures sibi habens cognomines, ipse autem ex Calidromo monte per Aniphilochios, Locros & Phocidem delapsus ad pedem Cytheron montis, tandem in Aegeum mare seu Archipelagum præcipitatur. Ilissus Attica fluuius ex Cytheron monte haud procul Pirea (quo loco aliquando Atheniensium arsenale exitit) in Saronicum sinum funditur. Monteshuius prouinciae sunt Corimbos, post hunc Corax Doridis mons, accessu difficillimus, Achaiam ab Acarmania dirimens. Deinceps est Parnassus biceps, à barbaris nunc Liacure vocatus, in hunc Deucalion tempore Diluuij Græci sua archa delatus salius euasit, accedit id Diluuum circiter annum mundi 2440. Separat autem hic mons Locridem à Phocide. Helicoro mons Musis ficer, in Phocide est, quam à Bæotia dirimit, Hellebori & herbarum salubrium fertilis est, quemadmodum & Anticyrrha Hellebori prouentu nota est, vnde adagium quo stolidos seu insanos & mètis morbo laborantes iubemus πλευτας οινονεας id est nauigare Anticyras. Huic vicinus est Bæotio mons Cytheron, furijs dicatus, & Diana ficer, qua ob id quod mons syluis ac feris abundet, venatrix à Poëtis conficta est. Celebrabantur in eodem ludi Orgiales Baccho singulo triennio. Hymettus mós florum herbarumq; aromaticarum ac odoriferarum fertilis, ac ob id apibus foecundus. Sunt præter hos in Megaride Titirus, Palena & Lurius montes. Sylua omnium famosissima est Parnasso monti cognominis & vicina. Minérarum autem aluminis præcipuè foecundus est, Asopo fluuius vicinus ager. Limites habet ab Occasu Epirum, à Septentrione Macedoniam, ab Ortu Aegeum mare, à Meridie sinus Corinthiacum & Megarinum, cum Isthmo seu Peloponneso pen'insula. Est autem Peloponnesus, vti Strabo ait, totius Græciae vallum & propugnaculum, sic dicta à Pelope Achiu Duce. Prius etiam Apia, Inachia, Danaæ, Pelasgia, & Argia vocata, hac nostra ætate Morea dici coepit, à Maurorum fortasse incursionibus. Populos olim habuit Indigenas quidē Arcades, & Cynurics, & Achaeos,

qui relinquentes natale solum Peloponnesiacum exteriorem inuaserunt Græciam, Aduenas autem Dores, Etolos, Dryopes & Lemnios. Loci ipsius tum situs, tum maiestas Imperium quondam totius penè Græciae obtinuit, at hodie quemadmodū & reliqua Græcia Turcarum tyrannidi subiecta est, paucis exceptis oppidis munitis, quaè Venetis parent. Diuiditur in minores Satrapias octo, Corinthiam, Argiam seu Argoliam, Laconiam, quaè nunc Sacania, quondam etiam à centeno oppidorum numero, quem continebat, Hercatompyle dicebatur, Messenia, Elis, Achaia propriè dicta, Sicyonia & Arcadia, de quarum situ (cum locus non ferat prolixitatem) quam potero breuissimis me expediam. Est hæc terra haud vlli nobilitate postferenda, inter duo maria Ionium & Aegeum contenta, angusta ceruice, quam Isthmum vocat, Achaia connexa, duobus vtrinque sinibus, quorum occiduus Corinthiacus, nunc Golfo de Lepanto, seu Patras, oppositus Saronicus, seu Megaricus, nunc Golfo de Engia. In ipso Isthmo est Argia, vnde Argiui, hæc etiam Doricū, Hippium & Dixium appellata fuit. Statim ab Isthmo est Corinthia in qua Corinthus, Ephrya siue Heliopolis ciuitas nobilis. Deinde Sicyonia regio inter Corinthum & Achaiam propriè, proximeq; sequentem in eadem Pen'insula, in hac multæ oleæ. Messenia verò ad Occasum Solis & Meridiem Pen'insulae vergit, supra quam Elis regio. In medio verò Pen'insulae Arcadia, ab Arcade Iouis filio dicta, eadem & Parthasia, Lycaonia, Azania, Pania & Pelasgia appellata fuit. Post hanc versus Ortum Solis & Meridiem Laconica vel Lacedæmonia posita est. Ciuitates autem totius Peloponnesi nobilissimas, quasi compendio complexus est Ouid. lib. 6. Metamorph. Vbi de proceribus mentionem facit, qui ad consolandū Pelopen missi fuerant, cuius soror Niobe cum omnibus liberis fuerat extincta. Versus hi sunt:

Finitimi proceres coeunt, urbeq; propinquæ

Orauere suos ire ad solatia reges,

Argosq; & Sparte, Pelepeia deq; Mycenæ,

Et nondum toruæ Calydon inuia Diana,

Orchomenosq; ferax, & nobilis ære Corinthos,

Messenæq; ferox, Patreq; humilesq; Cleone,

Et Nelea Pylos, nec adhuc Pyreia Træzen,

Quæq; urbes aliae bimari clauduntur ab Isthmo.

Amnes celebriores Peloponnesi sunt Inachus, quam hodie Planizzam vocat, ex Cro-
nio monte scaturientis, in Argolicum sinum properat. sunt etiam Argia fluuij Lynceus,
nunc Stella, & Asterius, nunc Erasinus ex Stymphalio monte progredientes. Est &
Lerna palus vbi Hercules Hydrum serpentem septem capitū occidisse traditur. Eurota
flu. nunc Basilopotamus, idem regius flu. dictus, ex Cronio monte in sinum Laconicum
labens: deinceps est Panis totius Peloponnesi fluuius maximus, nunc Stomio voca-
tur, ex Pholoe monte in sinum Messenium influit. Huius aquæ puerorum & infantium
morbis mederi dicuntur. Alpheus famatus fluuius, olim Minyas. Minterius & Anni-
ger, hodie corruptè Orpheus, & à nautis Carbon appellatur, ex Cronio mōte, receptis
in se Helißone, Brentheato, Gortinio, Phago, Ladone, Erymantho, & Amaryntho ex
Arcadia prodeuntibus annibus, & Cladeo ex Elide, haud procul antiqua vrbe Olympi-
a in mare Siculum funditur. Peneus in Elide ex Pholoe mōte ortus, in mare Ionium
defertur. Asopus in Sicyonia ex Phlasienis montibus Cronio iunctis, in sinum Corin-
thiacum defertur. Sunt præter hos plures alii his inferiores, quos nominetenus faltem
recensuisse sat sit, vti Langius, Seylleyus, Oraus, Elius, Cytherius & Acidon, nunc
Stronize dictus. Quibus omnia & Styx letalis infernalisque additur amnis: qui cum
nec gustu, nec colore mortiferum quid præ se ferat, vi tamen veneni latentis, in mo-
mento ipsum gustantes, sic constipat ac strigit, vt omni ventris beneficio destituatur:
huius veneno creditur sublatus Alexáder Magnus ab Iola Antipatris Macedonis filio.
Montes huius prouinciae sunt, in Arcadia quidem Cimerius, Pholoe, Cyllenus totius
Arcadiæ altissimus, Mænalus herbitus mons, Nonacrius Stygem flu. effundēs, Arthe-
misius quem & Parthenium dictum volunt. Lyceus Messenij vicinus est. Est & Minius
nunc Olonos vocatus, Messenæ mons, mentam herbam abunde proferens. In Argia
collocantur Sepius, Stymphalus, hodie Pogliz nominatus, quondam autem Gerone-
teus. Cronius nunc Greuenus inter Argiūs & Lacones, à Saturno nomen habens,
quod filium Iouem fugiens in hunc configerit. His omnibus addam Aphæsantum
montem Argolicum, & Taygetum Laconicum, in cuius summitate existentibus, pro-
spectus patet per omnem illam Pen'insulam, vt nulla celebris visum effugiat ciuitas.
Quemadmodum autē nec tota Peloponesus fertilis fuit (Laconum enim ager durus,
incultus & sterilis admodum extitit) ita etiam non omnis hæc Pen'insula male culta,
rerum humanæ vita inservientium parca fuit, verū alibi frumenta vberius, alibi arbo-
reos fructus, alibi pascua largitur. neque suis etiā syluis nemoribusque destituta: cuius
rei testis esse potest Virgilii in Bucolicis Aegloga octaua, sic canens:

Mænalus argiumq; nemus, pinosq; loquentes

Semper habet: semper pastorum ille audit amores,

Panaq; qui primus calamos non passus inertes.

Est autem Mænalus, vt diximus, Arcadiæ mons

Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem

Idem Aegloga decima de

Galli interitu.

Mænalus, & gelidi fleuerunt saxa Lycei.

Quemadmodum & syluarum in Parthenio monte eadē Aegloga meminit, cùm dicit:

Non me villa vetabunt

Frigora, Parthenios canibus circundare saltus.

Minérarum autem metallicarum, nec non gemmarum diues est Taygeta mons, vnde & laudata efferuntur cotes, oleo tingendi cùm ad vsum aptantur. Hæcq; perfunctoriè de Europæ Græcia dixisse sat sit. Quanquam de Insulis Græciae tum in Mediterraneo, tum Archipelago seu Ægeo mari vicinis locus præsens nonnihil dici exigit: tamen ob loci angustiam tum illa, tum alia multa prætereunda fuere. At vt obiter huius etiam tabula situs, quo ad plagas coelestium circulorum attinet pro colophone ostendatur, sic accipe. Longitudo eius minor seu Occidentalior gradus hadet 44. vbi Dyrrachium promontorium. Maior autem seu Orientalior 56. vbi Byzantium. Latitudo verò eiusdē minor seu Australior grad. continet 36. min. 48. vbi Therracum promontorium. Maior 43. & 10. min. vbi rursum Byzantium. Subest itaque à principio quinti climatis, quod est per Rhodum insulam, vñque ad finem sexti, quod est per Massiliam. Vnde parallelus eius Australior numero vñdecimus, Heterosciorum verò quintus, diem artificia-
lem habet prolixiorem horarum 14¹. Borealior autem numero 14. seu

Heterosciorum 8. diem totius anni longis habet horarū 15¹.

Ex quibus eius quantitas facile

emergit.

SICILIA INSULA.

Siciliæ Insulæ nomen à Duce Siculo ortum tradunt, quæ Neptuni filium fuisse ferunt. Prius verò Trinacria vocabatur, quod tribus promotorijs triangula esset, vnde Ouid. lib. 4. Fastrorum. Terra tribus scopulis valsum procurrit in æquor. Trinacris à positu nomen adeptæ loci. Tria vero ista promontoria sunt, Pelorus ad Italiam & Aquilonem vergens contra Scyllam, hodie *Capo del Faro* dicitur. Alterum Pachynus ab aeris crassitudine, nunc vero caput Passarum dicitur. Tertium est Lilybæum, Africæ & Libyæ oppositum. Hinc coelo sereno videri potest Africa, hodie *Capo Boco*. Sicana etiam olim dicta, vel à Sicano rege vti Solinus & Capella, vel à Sicanis antiquis indigenis, vti Diodorus Siculus, referunt. Siciliam Insulam principio a Cyclopibus habitatam, præter authoritatem scriptorum testantur etiam cadavera seu schelota enormis mensuræ ac proceritatis, in ea reperta, cuiusmodi tradit Bocatus in antro quodam montis haud procul Drebano vrbe sito: cuius corporis longitudo 300. circiter pedum colligitur. Post hos autem eam incoluerunt Sicanj, deinceps Siculi, mox Indi, Troiani, Cretenses, vel Candij, Phœnices, Caledonij, Cornitij & reliqui Græci, Zanclej, Gnidij, Morigeti, Romani, ac denudo Græci, Gothi, Saraceni, Normanni, Lombardi, Suevi, Germani, Galli, Arragonij, Hispani, Calatañi, Genouenses, & tandem Pisani, Lucenses, Bononienses, Florentini, qui populi omnes diuersis temporibus diuersa Siciliæ loca occuparunt, habitaruntque. Incolæ moderni ingenij habetur acuti, subtilis, nobilis ad inueniendum, natura facundi, facetique, sed ultra modum loquaces, vnde prouerbio locus, *Gerræ Siculæ*. Lingua vt plurimum vtuntur Italica, verum minus grata, polita, ac eosdem etiam moribus, habitu, reliquoque vietu referunt. Regni titulo decoratur Insula. Estque diuisa vniuersa in tres Provincias, quas Valles vocant, ac definit quæque vallis in unum è promontorijs. Prima Demino vel Demona vallis Pelorum promontorium habet, & nemorum plena est. Altera vallis de Notho dicta, & frumentarijs tum campis, tum nemoribus lata, pecorumque foecunda, Pachinam continens. Tertia vallis Mazara dicitur frugiferarum arborum penè impatiens, messibus armatisque abundans. Lilybæum sibi vendicat promontorium. Regni Metropolis est Panormus, quam Paternū hodie dicunt. Veruissima vrbs sita in valle Mazara loco amœno & fertilissimo, ad Septentrionem spectat, pelagoque alluit Tyrrenho, muris septa perquam altis, & secundum mare arx est, quam castrum ad mare nominant. Tres item antiquæ ciuitatis portæ, & veteres muro, multis cum turribus, lapide quadrato constructi. Inueniuntur lapides literis inscripti, quibus Noë tempore fuisse Panorum planè constat. Dulcium arundinum, quas *cana mellæ* vocant, quarum ex recocto succo fit succharum, fertiles in Panormitanō agro sunt messes. Syracusa regio olim ciuitas in valle de Notho sita, vrbs quandoq; maxima pulcherrimaque, ac tripli septa muro, portus etiamnum duos habet, qui quum diuersos inter se aditus habeant, in exitu sunt coniuncti, quorum coniunctione Insula ipsa disiungitur. Ea tanta fuit, vt ex quatuor aliquando vrbibus constaret, quarum una ea est, quam diximus Insula, quæ duobus illis portibus cincta (Magnum & Paruum vocant) quæque in præsentia cæteris solo adæquatis tantummodo stat. In insula huius vrbis est fons, cui nomen Arethusa, Poëtis celebratissimus. Agri Syracusani omnium quæ ad viçum humanum pertinent, rerum longè fertilissimi sunt. Tritici enim omnisque leguminum generis latissimas ferunt segetes. Cattinia ciuitas in Demona valle mari vicina. Ager Cattanaicus totus fertilis est, & Theitin vinum ibi natum præstat omni vino Siculo. Agrigentum peruestita ciuitas, in Mazara valle Perillo tyrannu nobilis, quæ æneo boue tormento saevissimo donauit Atheniensis Faber: cuius supplicij ipse primū edidit specimen. Messana quoque vetusta Siciliæ ciuitas est in Demona valle sita, hodie satis prospera & polllens. Ab Italia finibus Charybdis freto, portuque, natura ipsa facta discreta, ab Occasu collibus munita, tritici messibus, quia montibus clauditur & pelago, caret: nemoribus abundant, sed tota prope eius mesis in mōrorum folijs consistit. Probatisima enim à Messanis lana serica in multas Europæ partes mittitur. Plinius in hac Insula vrbes 72. numeravit. Hodie Episcopales continent 12. Insula est nobilissima, fertilissimæque rerum omnium, Cereris, Bacchiæ, croci, mellis, succhari, olei, plantarum ac simplicium medicinalium. Fluminibus rigatur plurimis, ac portus exhibetibus tutissimos. Teria, Himeria, Gela, Janeta, Garbone, Samfone, Salsa, Platina, Tareta, & compluribus alijs. Montes habet aërios, aquarum dulcium, fontiumque copiosos, fructiferos & amœnos, & Ætnam montem, nunc *Mont-gibet* dictum, mirum suis incendijs, sylvarum, nemorumque copiam, vti ex prædictis facile intelligere est. Minærarum præterea duas est Sicilia: generat enim aurum, argentum, ferrum, alumen, salem cum coctilitium, tum fossiliū, tum etiam specie salis ex marina aqua coagulatæ, generat infuper gemmas pretiosas, Smaragdos, Agatos, in Acatio amne. Effoditur & Berillus in magna copia, item Porphyrites lapis omnium ferè colorum, nec non & Iaspis, & in mari iuxta Messanam & Drepanum generatur Corallium. Thermis hinc inde abundat. Calidis tepidisque sulphureis alluminatis, cuius materia ibi ingens copia. Vnde & montium conflagrantium ignes. Laudatissimæ verò Cifalenses thermæ habentur. Alluitur autem à Septentrione mari Tyrrenho seu Infero, ab Ortu Adriatico vel Supero & Ionio. Ad Austrum verò Africo mari, & ad Occidentem Sardoo. Incipit ab Occidente sub longitud. grad. 36. vbi Trapanum, & definit in Oriente sub longitud. grad. 39. minut. 35. vbi Messana. Latitudinis initium sumit sub grad. 35. minut. 15. vbi Pachinum promontorium, definitque sub grad. 37. minut. 28. latitud. Subiacet itaque sub finem quarti climatis, qui est parallelus transitus per mediam Phœniciam, usque ad mediū quinti, quod est per Rhodum. Ita ut parallelus subiaceat 10. & 11. vbi dies artificialis prolixior horarum 14¹. & 14². longa est itaque ab Occasu in Ortum mill. German. 45. vel Ital. 100. lata autem ab Austro in Boream mill. German. 33¹. vel Ital. 133.




CORSICA.

Corsicam nomen suum à muliere quadam eius nominis accepisse ferunt, aiunt quidam à Corso eius terræ domino, quanquam (vti ait Thomas Porrechus) dicunt alij sic appellatam à qualitate cacuminis montis alicuius: eo quod κόρη apud Græcos sonet Templum cacuminis, seu Templum montis. Olim à Græcis Cygnus vocabatur, à Cyro Herculis filio, sed prius Terasina dicta erat. Insula huius primos cultores ferunt fuisse Persas, qui prius sub Caspijs habitauerant, ac Caspij Corsi nominabantur. Hodierni Corsicæ, incolæ etiamnum, vti olim habentur homines pauperes, feroceisque, qui vel ipso aspectu animi ferocitatem referant. Homines pauperimi, ac à literis prorsus alieni. Diuiditur autem Insula in quatuor partes. Latus

Orientale ab incolis dicitur *Banda di dentro*. Occidentale *Banda di fuora*. Meridionale quod vergit versus castrum Bonifacij *di la da monti*, id est, Transmontana. Septentrionale versus promontorium, quod caput Corsum dicunt, *di qua da monti*, id est, Cismon-tanam vocant. Plinius memorat olim in ea fuisse ciuitates 33. hodie nullam ferè habet præter vnam Bastiam paruam, maritimamque vrbel, in qua residet supremus gubernator, quem quotannis illis constituant Genuenses, est & Nebbius ciuitas cum Comitatu, eam Ptolomæus Cerunum videtur appellasse. Portus habet binos hæc Insula, satis amplios, maximarum nauium capaces, in finu qui vocatur S. Florentij. Est & Sancti Bonifacij portus, à Ptolomæo dictus portus Syracusanus. Insula pessimè culta, est enim aspera, petrosa, & loca habens altissima, ac deserta. Crescit optimum & nobilissimum ynum in ea Insula parte, quæ respicit Tiguriam. Fert quoque resinam, mel, & similia, non tamen laudatur mel in ea collectum. Referta est ouibus & bobus ea pars quæ respicit Etruriam Italiæ, est mediocriter plana, habetque ibi foecidum solum, & producit nobiles & dulces fructus. In reliquis verò locis, aditu est difficilis ob montium asperitatem. In montanis quæ vocantur Illia Orba, vbi Insula est eleuatisima, in gens numerus oberrat animalium, quæ ipsi Capras, Muffolas appellant, animal præterquam in hac Insula & Sardinia, nulquam apparet in tota Europa: habens cornua & pilos instar cerui, & cornua instar arietis, non longa, sed retrò circum aures reflexa, præcipue duritie, vt si altitudine 50. pedū præcipitetur inter faxa, ac capiti incumbat, non fedatur, magnitudinem retinetur cerui mediocris, solisque herbis vescitur, cursu præditum velocissimo, carnes habet gustu sapidas. Fluminibus rigatur Golone, Tauigano, Sagona, Bauono, Tegiamo, ac nonnullis alijs. Sylvis, nemoribusq; que resinam exhibent, montes hinc inde velluntur. Montes verò præcipui sunt quos dixi Illia Orba vocari, item Cheparteno mons, mons Tenda, mons Gualango, mons Rossus. Ferri mineras habet in Comitatu Nebbiensi, secundum Biuacum amnum, & prope S. Florentium, salis fodinæ sunt dictæ ab Incolis, Salinæ della Reia. Sunt præterea valles quædam profundissimæ, nebulis nullo non anni tempore obductæ, in quibus Chrystallum ferunt haberi. In mari autem inter Corsicam & Sardiniam Corallium legitur. Thermas habent complures, vti eas quas vocant *de pietra Pola*, item prope Asca in valle Carroggia, item in territorio Nebbiensi nonnulla alia. Ab Occidente & Septentrione respicit mare Ligusticum, ab Ortu Tyrrenum, à Meridie Sardiniam. Incipit ab Occidente sub longitud. grad. 30. min. 20. vbi Zinatum, definitque in Oriente sub longitud. grad. 32. vbi Pie Morlo locus. Ab Austro initium sumit sub latit. grad. 39. minut. 2. vbi S. Bonifacius, definitque in Septentrione sub latitud. grad. 41. minut. 15. vbi caput Corsum. Subiacet itaque lub initium 8. climatis, quod est per Hellespontum. Ita ut parallelus per eam transiens sit 13. diesque artificialis prolixior plus minus horarum 15. Longitudinem itaque habet ab Occasu in Ortum mill. German. 21². seu Italorum 87. latitudinem vero ab Austro in Boream mill. German. 34. seu Ital. 136.

SARDINIA.

Ardiniam sic dictam aiunt à Sardo Herculis filio seu Nepote: Timeus Sandaliotim appellauit ab effigie Sandalij, hoc est, Solez, alij vero à similitudine vestigij Ichnum nominarunt. Plutarchus affirmat Thuscos fuisse primos Sardinæ cultores. Post Thuscos autem Poeni, mox Græci, deinceps Iberi, Hispanique. Plinius scribit Ilienes, (fortasse Troiani fuere) Sardinian incoluisse, ponit & Corsos: tandem vero Romanis Insulam sibi subiecerunt, sed labante Romanorum imperio, rursum ab Afriis fuit occupata Sardinia, quos Pisani & Ligures expulerunt, inter se ipsi distribuentes Insulam: deinceps ad Arragoniæ reges delatum est imperium. Est autem diuisa Sardinia in duas partes, quarum ea quæ in Austru vergit *Capo de Calari* dicitur, & quæ in Boream caput Lugudori, quarum unaquæque habet suum gubernatorē. Linguam sibi habent peculiarem: sed propter adueniarum gentium multitudinem corruptam. Hispanica quoque non pauci nunc vtuntur. Nobilissima in ea ciuitas est Calaris, sita in monte iuxta mare, Africam respiciens, per amplum habens portum, diuiditur autem ea in quatuor partes: media quæ fortissime septa est muro, proprie vocatur Calaris: ea vero quæ Orientem spectat, vocatur Villa-noua: & quæ Meridiem respicit, vocatur la Galopola, seu la Marina: & quæ ad Occidentem vergit, Stampax nominatur. Est & Orlangen Metropolitanæ ciuitas, sita in solo piano, & parum à mari distans. Portum habet versus Occidentem, sed quia insalubri aere infestatur, propterea minus est populosa. Alger ciuitas est noua, parua, populosâ tamen & munitissima, dominibus & edificijs pulchris ornata. Ea pars Sardinæ, qua Corsicam spectat, motuosis est: sed montes amœni, & humanis necessitatibus vtiles sunt. Opposita vero pars planior & tritici abundantissima, amœna, sed altera amœnor est. Abudat tota Insula frugibus, pecore, & arméto, carne, caseo, pellibus. Equis ita abundant, vt non pauci agrestes sint, dominis carentes, nostris minoribus, generosi tamē, robusti & agiles. Vino optimo paßim abundant Insula, albo, nigro, vermiculo, & iam oleas quoque plantant Incolæ. Venationem habet vberem, Caprarum præcipue, Mufflonum, quas in Corsica descripsimus. Lupis caret, omniumque in ea quadrupedūncentior est Vulpes. Crescit & herba ex Ranunculi speciebus, quam Sardonicam vocant, Apiastro similis, quam qui edunt, risu perire videntur. Vnde prouerbiū, Risus Sardonicus. Habet flumina multa & amœna: sed non profunda, quæ æstatis tempore transuadari possunt. Ea sunt Tirus, Tirus, Sauo, Calaritan, Sepro, Codro, ac reliqua. Montibus vndique aspera, & sylvis quoque conspersa, maximè qua in Orientem vergit. Ex minäris argenti fodinas Sardinia ditissimas habet, maximè apud ciuitatem Ecclesiarum, item sulphuris & aluminis. Salinas vero habet magnas & inexhaustas, non in uno tantum, sed in multis locis, meliores tamen sunt prope Calarim. Sunt quoque in Sardinia Balnea multa salubrium calidorum fontium, quorum pulcherrima ea, quæ inter Castrum montis regalis & oppidum S. Gauini iacent: verum ab Incolis negliguntur. Alluitur autem Sardinia ab Ortu Tyrreno, à Meridie Africo, ab Occasu Sardoo mari, à Septentrione vero Corsicam respicit. Incipit ab Occidente sub longitudinib; grad. 32. minut. 50. vbi Marazum, definitque in Oriente sub longitudinib; grad. 37. minut. 14. vbi Tolar, ac in Septentrione definit sub latitudine gradum 40. minut. 2. vbi Erebantium promontorium. Subiacet itaque sub medium quinti climatis, quod dicitur per Rhodum, usque sub principium sexti: ita ut parallelus per eam transiens sit 17. vbi dies artificialis prolixior horarum 14³. lata autem est ab Occasu in Ortum mill. Germanicis 25. seu Ital. 100. lata vero ab Austro in Boream mill. German. 42. seu Ital. 168.



P Y T H I V S A E.

SVNT Insulae nonnullae intra strictum Sibylæ, quod Gibellena vocant sitæ, antiquis Pythiusæ dictæ, quarum duæ sunt præcipuae. Harum illa quæ in Austrum maximè vergit olim Ebusij dicta, hodie Iauisa appellatur: altera quæ olim Ophiusa, hodie Frumentaria vocatur. Hæ quoniam exiguae sunt, ac locus vix patitur multa de ijs referri, sufficiet nobis earum mentionem fecisse, hoc prius addito, quod Iauiza salis immensam quantitatem efficiat: quod vix dicendum lucrum Incolis præstat, vnde & pecuniarum sunt ditissimi. Incipiunt autem ab Occid. sub long. grad. 17. definitiæ in Oriente sub longit. grad. 17. minut. 50. Latitudinem vero habet Austrinam grad. 39. minut. 40. Boream grad. 40. minut. 18. vnde sitæ sunt sub principium sexti climatis per Helleponsum, diemque prolixiorum habent horarum 15. plus minus.

M A I O R I C A E T M I N O R I C A .

HÆc nomina sortitæ sunt hæ Insulae, quod altera respectu alterius Major, altera vicissim Minor dicatur. Tradunt autem aliqui primum Ginesias dictas fuisse. Deinceps vero à Græcis Baleares dictas, vna Balearis maior, & altera minor. Regni titulo vna cum Ebusia prædicta Insula decorantur, urbem vnaquaque habet sibi cognominem. In utraque optimū crescit oleum: fiunt & laudatissimi casei. Deinde habent Incola singulare negotium ruidum pannorum, quos ex lana parant, distrahuntq;. Carent hæ Insulae nocuis animantibus. Abundat autem ceruis & cuniculis, qui tamen importati aliquando fuere, ac Insulis plurimum incommodi afferunt fodiendo. Crescit in eis nobile vinum, frumentique satis magna copia. Habet Malborna ad Orientem insiguen ciuitatem, quæ & ipsa Mallorca nominatur, habetque portum optimum, estq; Metropolis harum Insularum, olim vero fuit Palma vocata, decoraturque hodie studio vniuersali, in quo Raymundus Lullius magna est aestimationis, quia ibi natus & educatus fuit. Est & alia ciuitas in hac Insula Bolentia, seu Polentia nomine, respicitque Meridiem, sicut Mallorca Septentrionem. Est autem Insula iuxta maris littora multum fœcunda. In interioribus vero est mótoſa & infœcunda. Sunt aut à longitudinis gradibus 24. usque ad 26. cum dimidio, & à latitudinis gradibus 39. minut. 50. usque ad 40. & minut. 50. Subiacet itaque climati sexto, habentque diem artificiale prolixiorum horarum 15. plus minus.

C Y P R V S .

Cyprum Insulam à Cypro Cynicæ filia, sic dictam aiunt, vel à Cypero flore, vel vt Astyponus scribit, quia prius Cryptos appellata fuit, eo quod se penumero à mari occultata fuit, deinde r litera abiecta Cyprus vocata est. Varijs autem nominibus appellata fuit: nam & Athamantida, & Cerasten, & Aspeliam, & Amathusam, & Manciam. i. beatam à diuitijs & affluentia, & Crypton, & Coliniam Plinius scribit fuisse appellatam. Dicta est enim Paphos à Papho Pigmalionis filio. Hæc nouem olim regna continebat. Hodie autem vniuersa Insula diuisa est in vndecim partes, Contradas nominatas, quæ sic sunt dispositæ, vt ab Occid. sint hæc de Baffa, olim Paphos de Austrum, de Limisso, de Mosoto, de Salinis, de Mesarea. Illæ sunt versus Meridiem ad littus maris, & sunt diuisa ab altera cōtra de longo montium tractu. Relique respiciunt Septentrionem, & sunt illæ, de Crufoco, de Pondagia, de Cerines, & de Carpasso. Ultima vicecomitatus. Nobilissima olim huius Insula ciuitas dicebatur Cythera, vnde Venus, cui sacra erat hæc insula, Cytheræ dicebatur. Item Paphos, Palepaphos, & Salamina. Hodie sunt Nicosia regum aliquando sedes & Famagusta, Emporium totius Cypri. neque enim portum habet alium præter eum, aut certe parum commodum. Insula ipsa ponita est in mari Carpathio, Iffico sinu vicina, quem Gocfode Laiazzo hodie vocant, mirè fertilis est. Abundat enim vino & oleo, Frumenti quoque satis habet, Linum, Gossypium, Cannam mellis vnde Succharum recoquuntur. Ex cotone tamē plus lucri ac emolumenti capiunt, quam ex frumento. Bombycis enim tam incredibilis inde copia Venetias fertur, vt tota Insula videatur in lanam abiisse. Pecora hyeme tantum aguntur ad pascua, sed æstate ob æstum nimium domi referuantur. Flumina Insula tota nulla habet, quin potius torrentes quidam dicendi sunt. Eorum præcipue sunt Lycus & Lapethus, ex Olympo monte prodeentes prior in Austrum, posterior in Septentrionem decurrit. Mons est non Cypri modo, verum & vniuersæ Græciæ & Europæ etiam editissimus, ac omnibus tum historiis, tum poëtis penè celebratus, in mediterraneis huius Insulae consurgens. Sylvas habet procerissimorum arborum, quare & hoc in Cypri laudibus recensetur, quod materiam habeat naualem omnem, non indigena externo subfido. habent enim arbores ad malos aptas, picem ad liniendas naues, linum pro velis & funibus texendis. Sunt & sylva arborum ferentium fructum illum quem Myropolæ vocant, Carrubium & cornua hœdi, vulgo autem dicitur Panis S. Iohannis. Æris etiam metalla in ea fuerunt; in quibus vitriolum & rubigo æris nascebatur ad medicinæ usum idonea. Sunt præterea in Cypro res quædam notabiles ex herbis, lapillis & aquis miræ naturæ, quas breuitatis causa præterimus. Habet à Septentrione Campaniam & Phamphilicum mare, ab Ortu Syriacu, à Meridie Ægyptium, ab Occasu

Rhodum Insulam. Incipit ab Occidente sub longit. grad. 62. minut. 50. vbi Drepanum promontorium, definitque in Oriente sub long. grad. 65. minut. 50. vbi promontorium S. Andreæ. Latitudinem vero habet Austrinam grad. 34. minut. 30. vbi Caput de la Gabelbaieam vero, grad. 35. minut. 30. vbi Cronnium promontorium. Subiacet itaque sub finem climatis quarti, qui est parallelus 10. transiens per medium Phœniciam, diemque habet prolixiorum horarum 14¹. longa autem est ab Occasu in Ortum mill. Germa. 37. seu Italicas 148. lata vero Germa. 15. seu Italicas 60.

C A N D I A .

Candia nomen suum accepit ab eius nominis in vrbe Metropolitana, prius autem Creta dicebatur, à Curetis populis, qui eam primi habitarunt, vel à Cretheo Louis & Idæ filio. Diuiditur Insula in quatuor territoria seu Cōtradas, à quatuor nobilissimis eius vrbibus denominatas, ex in Septentrionali maris littore omnes posita. Prima versus Ortum est Sitia, altera Candia, præcipua ciuitas & Metropolis regni, in medio Insulae sita in longa planite. Tertia est Rhethimo, & ultima est la Canea versus Occidentem. Concordat autem in eo omnes veteres authores fuisse olim in hac Insula 100. vrbes: sed Homerus in Odissea nonaginta tantum refert, decē ruinatis post Troianam cladem: vnde επίνειον οἴστραλην vocat, ex ijs insignes fuere Cortyna, Cydon, Gnosus, Minois regia, vbi Minos nouem annos regnauit. Hodie illæ solūm quatuor superius memoratae alicuius momenti sunt. Tria habent promontoria, duo versus Occidentem, quorum alterum nunc Capo Spado, olim Cimarium, alterum versus Austrum Caput Leonis vocantur. Vnum versus Orientem olim Samonium, hodie caput Salomonis dicitur. Duos tantum nobiles habet portus, quorum alteri Spinæ longæ, alteri la Sudæ nomen est. Tota Insula plena est montibus & vallibus, habetque multis sylvas & maximè Cupressi per insulam intensum spirant odorem. Nullum in Creta noxiū animal, noctua nulla, Caprarum copia. Optimæ vini feracissima est, quod & Creticum & Maluaticum vocatur, à monte quodam. Oleum, Malaurantia, & Cedrum abundantissimè profert: profert & grana quibus panni colorantur, mel, ceram: frumenti publique fera. Crescit & in Creta herba quædam Alimos nominata, quæ commasticata inter dentes famem dicitur leuare per diem, profert & Succharum. Prope Cortinam ciuitatem Labyrinthus fuit Dædali opus, cuius adhuc aiunt extare vestigia. Montes insulae famatissimi sunt Ida, in quo Iupiter natus, & educatus dicitur, & Dictæus. Fluuios habet paucos, minimeq; profundos. In littore Septentrionali sunt Milopotanus, Scaphus, Cladilis, Epicidomus, Giffo, Diuotro, versus Occidentem est Nopiliar, versus Meridiem est Linens, de Minæris seu Thermis eius nihil reperi apud authores. Terminatur autem ab Oriente mari Carpathio, ab Occidente Adriatico, à Septentrione Cretico, à Meridie Punico. Incipit ab Occidente sub longit. grad. 50. minut. 45. vbi Cimarus promontorium, definitque in Oriente sub longit. grad. 55. minut. 30. vbi promontorium Capitis Salomonis. Latitudinem habet Austrinam grad. 33. minut. 50. Boream autem 349. 50. minut. Est itaq; sub fine quarti climatis, sub parallelo 10. træcente per medium Phœniciam, ac diem habet prolixiorum horarum 14¹. longa ergo est mill. Germa. 35. seu Ital. 140. lata vero mill. Germa. 15. seu Ital. 60.

M E L I T A .

Melitam ab apibus sic dictam tradunt aliqui, quas Meliopetas Græci vocant, & quod mellis habent ibi copiam, hanc olim Saraceni habitarunt. Insula fere tota plana est: sed laxa & vento exposita, multos habet securissimos portus, & qua in Boream vergit aquarum indiga: sed versus Occasum torrentes nonnullos habet, producit arbores fructiferas, frumentum, linum, cotonem, & cynamum, & canes nobiles, albos & villolos. Rosas etiam optimi odoris copiosè producit. Seminatur ager per totum annum cum paucis labore, & duas messes habet, similiter etiæ ex arboris fructibus bis gaudent quois anno. Ciuitatē habet, vnam Maltam nomine. Et castrum fortissimum S. Ermo, & S. Angeli, & S. Michaëlis, posita est inter Siciliam & littora Barbariæ. Longa mill. Ital. 20. lata 12. In fine sexti climatis sub parallelo 14. vbi dies prolixior horarum 15¹. sub longit. grad. 39.

M I T Y L E N A E .

Mitylenæ Insulae nomen ab vrbe in ea cognomini, cum prius Lesbos diceretur Æolicarū vrbium Metropolis. Pelasgi priores Insula habitauerunt, postea Æoles, deinceps Persæ, postea Macedones, quos sequuti sunt Romani: tandem in Turcarū potestate venit. Feraci agro est, & multa materia ad classes cōficiendas idonea, vnde & à quibusdam Insula felix & fortunata nominata. Versus Meridiem, sunt quatuor columnæ cum mirabilibus ædificijs & caernis subterraneis. Abundantque montes eius Cupresso arbore. Longitudinem habet grad. 54. in mari Ægeo, latitud. autem 40. vnde est in initio sexti climatis, sub parallelo 13. vbi dies prolixior horarum 15.

ITALIA.

ITALIA nomen à quo originē traxerit ostendemus, si prius quibus initijs excreuerit hæc gens, & antiquiora vetusta eius nomina dixerimus. Primum itaque satis constat nobilissimam hanc terram, quæ nunc Italia dicitur, clarissimis initijs & temporum, & populorum primū excreuisse. Principium enim traxit ab aureo sæculo. Præclaris item & egregijs Heroibus, Iano, Camese, Saturnoqué, Phœnicibus & Sagis, quos pro diis habuit antiquitas, quæq; prima omnino gens fuit, à qua post vniuersale Diluvium, Coloni per orbem terrarum emissi, ut in Originibus Cato perhibet. Varijs autē ac diuersis nominibus ex vicissitudine, commutationeque temporum & rerum, oram hanc appellatam fuisse, non est obscurum. In primis Ianicula à Iano dicta, seu Noë, quem & OEnotrium vocatum aliquos prodidisse scribit Cato, ob Vini & Farris, quorum in sacrificijs vsus est, inventionem. Hinc item OEnotriæ nomen ortum. Animaduertendum verò est tres OEnotrios extitisse. Primum Ianum: alterum Lycaonis filium Arcadem Gra cum: tertium Sabinorum regem, quanquam antiquissimus omnium ille fuerit Ianus, à quo Latium Hetruriamq; nomen OEnotriæ desumpsisse Cato memorat. Ab his itaque tribus OEnotrijs totidem OEnotriarum appellations ortæ. Prima veteris Italæ, quæ ab Iano profecta est: altera partis eius Apulia, quam tenebant Ausones, ab OEnotro Græco Arcade, Tertia regionis Sabinorum, ab OEnotrio gentis rege. Succedit aliud nomē Camesana, cuius authorem Camesem prodidit Cato. Insequentibus temporibus aliud à Saturno nomen Saturniæ natum, itemque Saleumbra, vt Cato refert à gentilibus. Aliud huic nomen Apinæ, vbi Api deorum Italæ postremo fecutū, & Vituliæ. Hinc nomē Hesperiæ succedit ab Hespero Athlantis filio profectum: qui Hispania fratriis iniurijs pullus, cum hoc commigrasset, regioni nomen peperit, at quo ab Hispania distingueretur, hæc Hesperia magna dicta est. Ausoniam deinde vocatam à rege quodam, Seruius & Berosus affirmant: Nonnulli Ausones initio circa Beneuentū, & illa loca finitima prope Tyrrhenum & Siculum mare, qd. od Ausonium inde dictum, incoluisse, deinceps autem prolatis finibus ad Locros & Ausonium mare, in Italæ frontem effuso, postremò reliquum vniuersæ regionis nomen adeptum Ausoniæ censem. Ultimum denique nomen exortum Italæ, cuius author, vt Polybius & Dionysius prodūt Italus, regionis huius rex, quæ prius in Arcadia regnauisse Iucychedes scriptit. Animaduerti porrò debet, quod ait Cato, nominibus his Ianicula OEnotriæ, Camelenæ, Saturniæ, Saleumbra, Apenninæ, Taurinæ, seu Vituliæ, Hesperiæ, ac Italæ, principio nuncupatam regionem circa Tyberim, hæc Italæ non nina. Nunc populos, aduenasque gentes quas excepit, commemoremus: quarum tanta multitudo ac varietas, quantam nulla in omnino totius orbis terram, vel habitandi, vel prædandi causa petuit. Appulere huc OEnotrij, Aborigenes, Lydi, Aurunci, Pelasgi, Ausones, Arcades, Graci, Troiani, Veneti, Ligures, Ardeates, Rutuli, Siculi, Iapyges, Lacedæmonij, Salentini, Pelij, Aenianes, Achæi, Oeripites, Pili, Galli, Poeni, Heruli, Goths, Ostrogoths, Hunni, Hungari, Cepidae, Turingi, Anares, Longobardi, Saraceni, Britones, Cymbri, Teutonesque, quemadmodum scriptores perhibent. Ex his autem populis quidā hīc vrbes condidere, veluti Oenotrij, Ausones, Graci, Troiani, Galli, & plerique alij: nonnulli sedes cœperunt tantum, aliqui populationibus peractis, ad sua reuersi sunt. Italiam Cato & Sempronius partiuntur in Apenninum, in Cisapenninam regionem, quæ ad inferum mare vergit, & in Transapenninam, quæ ad superum vergit, & vt Sempronius ad j. it, in Alpes, à Rhetis ad Ligures. Idem dein Apenninum in Ligures, Pontanos, Apuanos, Umbros, Sabinos, Sabellos & Hetruscos diuidit. Cisapenninam porrò regionem vocat, quæ mari infero apposita, quippe quoniā in vrbe Roma diuisionem hanc peregit, ideoque situs Cisapenninus illi erat, quinobis Transapenninus. Regionem Cisapenninam ad inferum æquor, in Ligures Montanos, Ligures Apuanos, Ligures Hetruscos, Populonios, Ligures, Hetruscos, Turrhenos, hinc Lucanos, Picentinos, & Cumanos secat. Transapenninam, quæ nobis citra montes est, in Galliam Cisal-

pinam, hanc in Transpadanam & Cispadanam, item in Galliam to-gatam. Alpes inde trifariam scindit, in Alpes Ligurum, & quæ inter Poenium Oramque montes, demum Taurisonas ab Ora vsque in Histriam. Plinius auctorem D. Augustum, descriptionemque ab eo factam in regiones vndecim, sequi se fatetur, & Liguriam, Hetruriam, Latium, Campaniæ fælicem, Samnum, Picenum, Umbriam, Galliam, Italianam, Transpadanam, Venetiam & Histriam ponit. Strabo regiones octo fecit. Venetiam, Liguriam, Picenum, Leucaniam, Thusciam, Romanam, Campaniam & Apuleiam. Ptolomæus alia ratione terram hanc omnem in populos quatuor & quadraginta partitur. Massiliæs sunt circa Ligusticum mare, & Thusci, Latinique & Campani, & Picentini, & Leucani, & Brutij: quorum aliqui ad Tyrrhenum æquor vergunt, nonnulli Mediterranea tenent. Vti quoque Magnæ Græciæ gentes, & Salentinorū, tam in Adriatici ora, quæ intus. Dein Apuli, Peuetij, Daunij, prope Ionicū sinum, & itē penitus in Continenti. Tum qui sequuntur partem ad Adriam, colunt partim in Mediter-raneo. Frentani, Paligni, Marrunini, Piceni, Senones, Veneti, Carni, Histri, & in meditullijs Galli, Boj, Lenomani, Betuni, Infubres, Saras, Taurini, Libyci, Cantrones, Epontij, Caturiges, Segusiani, Ne-rusij, Surij, Vendcontij, Gallia Togata, Umbri, Sabini, AEquicoli, Marsi, Præcutij, Vestini, Caraceni, Sannites, Hirpini & Calabri. Antoninus in Itinerario regiones facit denas senas, sic Campaniam, Thusciam cum Umbria, AEmiliam, Flaminiam, vbi Rauenna, Liguriæ, in qua Venetiam, Istriam, Coëtias Alpes, Samniam, Aquilam, Calabriam, Brutiam, Lucaniam, Rhetiam primam, & Rhetiam secun-dam. Annexit insuper Italæ Siciliam, Sardiniam, & Corsicam Insu-las, vti partes. In sacro codice Romano, vt Volaterranus author scribit. Italæ diuisio recentio fit huiusmodi in Marchiam Taruisinam, seu Venetiam, in Istriam cui Foro-Iulienses annexuntur, Lombardiam, siue Galliam, Transpadanam, Liguriam, Romandiolam, vel Galliam Cisalpinam, Ducatum Spoletinum qui Umbria, Appruttium quod & Samnum, Campaniam, siue Latium. Terram laboris quæ Campania, itemque Liboria, Calabriam vel Lucaniam, Apuliam, & terram Hydruntinam, qui Salentini dicti. Notandum verò est hoc in libro Romano, neque Geographicum, neque topographicum ordinem seruari, sed ratione solùm Archiæpiscopatum, Episcopatum, & Ecclesiasticorum beneficiorum haberi. Ut si quid rudius quæ Chorographiæ leges patiantur, hīc appareat, nemo miretur. Blondus Italiam regionibus decem & octo partitur in Liguriam, Etruriam, Latianam seu Campaniam maritimam, Umbriam seu Ducatum Spoletinum, Picenum, quod nunc Aconitana Marchia, Romandiolam olim Flaminiam, AEmiliam, Galliam, Cisalpinam, quæ & Lombardia, Venetiam, Italiam, Transpadanam, quæ nunc Marchia Taruesina, vel Aquiliensis, vel Foro-Iuliensis, Istriam, Samnium terrâ laboris, quæ Campania vetus, Lucaniam, Apuleiam, Salentinos, quæ terra etiam Hydruntina, Calabriam & Brutios. Leander Albertus, ex quo cum hæc, tum cætera pleraque desumpsimus (cum enim Italiam ipse ita describat, vt eo solidius nihil tradi possit, non putauit aliam mihi eius describenda rationem ineundam esse: Quapropter ipsius nos verbis quoad fieri potuit, infistimus) sic Italiam diuidit in regiones vnde viginti, vt prima sit Liguria nunc Italica, Ora Genuensis: secunda Hetruria, quæ & Thuscia: tertia Umbria, nunc Ducatus Spoletinus: quarta Latium, id nunc Campania Romana: quinta Campania fælix. Hæc terra laboris: sexta Lucania, nunc Basilicata: septima Brutij, nuc Inferior Calabria: octava Magna Græcia, hæc Calabria superior: Nona Salentini, nunc Terra Hydruntina: decima Apulia Peuetia: iam terra Bariana: vnde decima Apulia Daunia, nunc Apuliam Planam vocant: duodecima Samnites, hoc Appruttium: tertiadecima Puenum, hæc Aconitana Marchia: quartadecima Flaminia, quæ Romanula nunc, vulgo Romandiola: quintadecima AEmilia, nunc est Lombardia Cispadana: sextadecima Gallia Transpadana, quæ nunc Lombardia Transpadana: septimadecima Venetia, hæc Tarufina Marchia: duodeuigesima Forum-Iulij, nomen vulgo ferè retinet, dicta & Patria: vnde uigesima Istria, quæ & ipsa, sed prorsus incorruptam appellatorem